


23rd Sydney Latin Summer School, 2017



University of Sydney, January 16-20, 2017

Level 2B

Instructors: Alexander Westenberg

Monday

Lucius Annaeus Seneca (Seneca the Younger), *Epistulae*, I, 3

Seneca was a Roman Stoic philosopher of the first century AD, and tutor (and later advisor) to the emperor Nero. When he felt he could no longer remain in politics and maintain his integrity, he retired and devoted his life to writing works of philosophy and a series of plays. This letter was sent to Seneca's young protégé Lucius, part of a series of letters designed to instruct him in philosophy and the good life.

III. SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

[1] Epistulas ad me perferendas tradidisti, ut scribis, amico tuo; deinde admones me ne omnia cum eo ad te pertinentia communicem, quia non soleas ne ipse quidem id facere: ita eadem epistula illum et dixisti amicum et negasti. Itaque si proprio illo verbo quasi publico usus es et sic illum amicum vocasti quomodo omnes candidatos 'bonos viros' dicimus, quomodo obvios, si nomen non succurrit, 'dominos' salutamus, hac abierit. [2] Sed si aliquem amicum existimas cui non tantundem credis quantum tibi, vehementer erras et non satis nosti vim verae amicitiae. Tu vero omnia cum amico delibera, sed de ipso prius: post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum. Isti vero praepestero officia permiscet qui, contra praecepta Theophrasti, cum amaverunt iudicant, et non amant cum iudicaverunt. Diu cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit. Cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte; tam audaciter cum illo loquere quam tecum. [3] Tu quidem ita vive ut nihil tibi committas nisi quod committere etiam inimico tuo possis; sed quia interveniunt quaedam quae consuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce. Fidelem si putaveris, facies; nam quidam fallere docuerunt dum timent falli, et illi ius peccandi suspicando fecerunt. Quid est quare ego ulla verba coram amico meo retraham? quid est quare me coram illo non putem solum? [4] Quidam quae tantum amicis committenda sunt obviis narrant, et in quaslibet aures quidquid illos urit exonerant; quidam rursus etiam carissimorum conscientiam reformidant et, si possent, ne sibi quidem credituri interius premunt omne secretum. Neutrum faciendum est; utrumque enim vitium est, et omnibus credere et nulli, sed alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius. [5] Sic utrosque reprehendas, et eos qui semper inquieti sunt, et eos qui semper quiescunt. Nam illa tumultu gaudens non est industria sed exagitatae mentis concursatio, et haec non est quies quae motum omnem molestiam iudicat, sed dissolutio et languor. [6]

Itaque hoc quod apud Pomponium legi animo mandabitur: 'quidam adeo in latebras refugerunt ut putent in turbido esse quidquid in luce est'. Inter se ista miscenda sunt: et quiescenti agendum et agenti quiescendum est. Cum rerum natura delibera: illa dicet tibi et diem fecisse se et noctem. Vale.

Praepostero, are...to reverse, invert

Permisceo, ere (2)...to mix or mingle together

Recipio, ere, cepi, ceptum (3)...to receive, take back, retake, regain, recover

Retraho, ere, traxi, traxtum (3)...To draw back, withdraw, call back

Coram (prep. with abl)...in the presence of

Diaeta, ae (f.)...a dwelling, summer-house

Oppleo, ere (2)...to fill up

Exesor, oris (m.)...that which eats away

Tuesday

Marcus Valerius Martialis (Martial), *Epigrammaton Libri, X; 47*

Martial (born between 38 and 41 AD and died between 102 and 104 AD) was a Roman poet from the Iberian peninsula (modern-day Spain and Portugal). He was best known for a series of twelve books of epigrams, a collection of short, witty, often satirical and bitter poems mocking Roman life and practice.

Vitam quae faciant beatiorem,
Iucundissime Martialis, haec sunt:
Res non parta labore, sed relicta;
Non ingratus ager, focus perennis;
Lis numquam, toga rara, mens quieta; 5
Vires ingenuae, salubre corpus;
Prudens simplicitas, pares amici;
Convictus facilis, sine arte mensa;
Nox non ebria, sed soluta curis;
Non tristis torus, et tamen pudicus; 10
Somnus, qui faciat breves tenebras:
Quod sis, esse velis nihilque malis;
Summum nec metuas diem nec optes.

Iucundissime (adv.)...Most joyful, dearest, sweetest

Pario, pepererit, paritum OR partum (3)...to bring forth, bear

Focus, i (m.)...hearth, fireplace

Lis, litis (f.)...a strife, dispute, quarrel

Torus, i (m.)...(in poetry) a bed

Epigrammaton Libri, VI; 40

Femina praeferrī potuit tibi nulla, Lycori:
praeferrī Glycerae femina nulla potest.
Haec erit hoc quod tu: tu non potes esse quod haec est.
Tempora quid faciunt! Hanc uolo, te uolui.

Praefero, praeferrī, praetuli, praelatum...to bring before, hold out, place in front

Wednesday

Marcus Tullius Ciceronis (Cicero), *In Catilinam*, I, 1, 33

Sallust was an historian and friend of Julius Caesar, who, when he went into retirement, wrote several historical works, the best known being his history of the Catiline Conspiracy. This selection is from his record of a speech delivered in approximately 77 B.C. by Philippus against allowing Lepidus to become a consul twice (which was illegal).

[1] I. Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quam diu etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? Nihilne te nocturnum praesidium Palati, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora voltusque moverunt? Patere tua consilia non sentis, constrictam iam horum omnium scientia teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? [2] O tempora, o mores! Senatus haec intellegit. Consul videt; hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam in senatum venit, fit publici consilii particeps, notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum. Nos autem fortes viri satis facere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem oportebat, in te conferri pestem, quam tu in nos [omnes iam diu] machinaris.

[33] Hisce ominibus, Catilina, cum summa rei publicae salute, cum tua peste ac pernicie cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere parricidioque iunxerunt, proficiscere ad impium bellum ac nefarium. Tu, Iuppiter, qui isdem quibus haec urbs auspiciis a Romulo es constitutus, quem Statorem huius urbis atque imperii vere nominamus, hunc et huius socios a tuis [aris] ceterisque templis, a tectis urbis ac moenibus, a vita fortunisque civium [omnium] arcebis et homines bonorum inimicos, hostis patriae, latrones Italiae scelerum foedere inter se ac nefaria societate coniunctos aeternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.

Abutor, usus (3)...to use up, use to the end, consume entirely

Eludo, ere (3)...to finish playing, to win from, deceive, cheat

Effrenatus, a, um...Unbridled, without rein

Hisco, ere (3)...to open, gape, yawn, mutter

Thursday

Cornelius Nepos, *Liber De Latinis Historicis*, Cato

Nepos (c. 110-25 BC) was a Roman historian, born near Verona in Gaul (roughly modern-day France). He was a good friend of the famous Roman poet Catullus, who dedicated his poems to Nepos (along with Cicero and Atticus). Almost all his works are lost, but we have a collection of 'Lives' in which he gives the histories of a number of great men from history. This piece is on the famous Roman statesman, Cato the Younger.

[1] M. CATO, ortus municipio Tusculo adulescentulus, priusquam honoribus operam daret, versatus est in Sabinis, quod ibi heredium a patre relictum habebat. Inde hortatu L. Valerii Flacci, quem in consulatu censuraque habuit collegam, ut M. Perpenna censorius narrare solitus est, Romam demigravit in foroque esse coepit. 2 Primum stipendium meruit annorum decem septemque. Q. Fabio M. Claudio consulibus tribunus militum in Sicilia fuit. Inde ut rediit, castra secutus est C. Claudii Neronis, magnique opera eius existimata est in proelio apud Senam, quo cecidit Hasdrubal, frater Hannibalis. 3 Quaestor obtigit P. Africano consuli; cum quo non pro sortis necessitudine vixit: namque ab eo perpetua dissensit vita. 4 Aedilis plebi factus est cum C. Helvio. Praetor provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua, quaestor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium poetam deduxerat; quod non minoris aestimamus quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum.

[2] Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco, sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem, exque ea triumphum deportavit. 2 Ibi cum diutius moraretur, P. Scipio Africanus, consul iterum, cuius in priori consulatu quaestor fuerat, voluit eum de provincia depellere et ipse ei succedere neque hoc per senatum efficere potuit, cum quidem Scipio principatum in civitate obtineret, quod tum non potentia, sed iure res publica administrabatur. Qua ex re iratus senatui, consulatu peracto privatus in urbe mansit. 3 At Cato, censor cum eodem Flacco factus, severe praefuit ei potestati. Nam et in complures nobiles animadvertit et multas res novas in edictum addidit, qua re luxuria reprimeretur, quae iam tum incipiebat pullulare. 4 Circiter annos octoginta, usque ad extremam aetatem ab adulescentia, rei publicae causa suscipere inimicitias non destitit. A multis temptatus non modo nullum detrimentum existimationis fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude crevit.

[3] In omnibus rebus singulari fuit industria. Nam et agricola sollers et peritus iuris consultus et magnus imperator et probabilis orator et

cupidissimus litterarum fuit. 2 Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit neque de Graecis neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adulescentia confecit orationes. Senex historias scribere instituit. 3 Earum sunt libri VII. Primus continet res gestas regum populi Romani: secundus et tertius, unde quaeque civitas orta sit Italica; ob quam rem omnes Origines videtur appellasse. In quarto autem bellum Poenicum est primum, in quinto secundum. 4 Atque haec omnia capitulatim sunt dicta. Reliquaque bella pari modo persecutus est usque ad praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos; atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In eisdem exposuit, quae in Italia Hispaniisque aut fierent aut viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, nulla doctrina. 5 Huius de vita et moribus plura in eo libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu T. Pomponii Attici. Quare studiosos Catonis ad illud volumen delegamus.

Censura, ae (f.)...The office of censor, censorship

Sollers, tis (adj.)...skilled, dexterous, clever, adroit, expert

Diripio, ere, ui, eptum (3)...to tear apart, into pieces; to plunder

Friday

Ioanna Rowlinga (J. K. Rowling), *Harrius Potter et Philosophi Lapis*

J. K. Rowling received a Bachelor of Arts in French and the Classics, which led her to make a good number of references to Latin and Greek in her works (e.g. Professor Lupin is so named because he is a werewolf, and the Latin word for ‘wolf’ is lupus). This excerpt is taken from the climax of the first book of the Harry Potter series. The work was translated into Latin by Peter Needham, who taught Latin and Greek at Eton for over 30 years, and has previously translated the Paddington Bear books into Latin also.

‘NUNQUAM!’

Harrius ad ianuam flammeam saliit, sed Voldemort clamavit, ‘ARRIPPE EUM!’ et, post secundum, Harrius sensit manum Quirrellis carpum prehendentem. Statim, dolor acutus sicut ignis cicatricem Harrii transcurrit; sensit caput iam iam in duas partes discussum iri; ululavit, viribus summis luctans, et mirabile dictum, Quirrell amplexum laxavit. Dolor capitis remittebat—amens inclinatum, digitos inspicientem—ante oculos pusolosi fiebant.

‘Arripe eum! ARRIPE EUM!’ iterum ululavit Voldemort et Quirrell prosiluit, Harrium totum praecipitans et insuper eum cruciate cicatrices Harrius paene occaecabatur, sed poterat videre Quirrellem prae dolore frementem.

‘Domine, non possum eum tenere—manus meas—manus meas!’

Et Quirrell, quamquam Harrium solo genibus infixerat, collum laxavit et palmas, obstupefactus, intuitus est—Harrius videre poterat eas ustas, crudas, rubras, lucidas videri.

‘itaque occide eum, stulte, et finis esto!’ clamavit Voldemort voce acuta.

Quirrell manum sustulit imprecationem diram factururus, sed Harrius, natura sua ductus, manu porrecta faciem Quirrellis arripuit—

‘AAAARGH!’

Quirrell volvendo se ab eo amovit, facie quoque pusolosa, et tum Harrius rem intellexit; sine dolore terribili Quirrellem cutem nudam suam tangere non posse—spem solam salutis positam esse in Quirrelle retinendo et tanto dolore ei infligendo ut imprecationem non facere posset.

Harrius saliens surrexit, et brachium Quirrellis arreptum quam artissime amplexus est. Quirrell ululavit et Harrium excutere conatus est—dolor capitis Harrio increcebat—non poterat videre—tantum ululatus horrendous Quirrellis audire poterat et Voldemortem clamantem ‘OCCIDE EUM! OCCIDE EUM!’ et voces alias, forsan in capite suo ortas, clamantes, ‘Harri! Harri!’

Sensit brachium Quirrellis ab amplexu suo abreptum, sciebat actum esse de se, in tenebras decidit, deorsum ... deorsum ... deorsum ...

Carpus, i (m.)...wrist

Cicatrix, icis (f.)...scar

Ululo, are...to howl, shriek, scream, shout

Luctor, atus...to wrestle, struggle

Amplexus, a, um...encircled, around

Laxo, are...to stretch out, around

Amens, mentis (adj.)...out of one’s senses, senseless, mad, frantic

Pusulosus, a, um...full of blisters, pimples, etc.

Prosilio, ire...to leap or spring forth

Occaeco, are...to make blind, to blind

Infligo, ere, ixi, ictum (3)...to strike

Forsan (adv.)...perhaps, perchance

Decido, ere, idi (3)...to fall off, fall down

Deorsum (adv.)...downwards